


Görgey

UNIVERSITATIS GALLICÆ
Academia Parisiensis.

FACULTAS LITTERARUM.

D. BERNARDI

DE ORIGINE,

NATURA ET FACULTATIBUS ANIMÆ

DOCTRINA.

DISSERTATIO ACADEMICA.

PARISIIS

M DCCC XXXVIII.

E TYPIS AMÉDÉE GRATIOT ET Ce,
Viâ vulgò dictâ de la Monnaie, 11.

OPTIMI. PATRVI.

IN. VNIVERSITATE. GALLICA. PROFESSORIS.

J. B. GERUZEZ. MEMORIÆ.

QVOD. PVERO. ET. ADOLESCENTI. MIHI.

BONA. DOCTRINÆ. PRÆCEPTA. VITÆ. EXEMPLA. PER. ILLVM.

NVMQVAM. DEFVERVNT.

D. D. D.

D. BERNARDI

DE ORIGINE,

NATURA ET FACULTATIBUS ANIMÆ

DOCTRINA.

DISSERTATIO ACADEMICA.

Doctoris gradum affectanti mihi, quum multa, tum in litterarum annalibus, tum in philosophorum disciplinis occurrerent, quæ exponere ac tueri in promptu fuisset, tamen totum hunc meum laborem circa D. Bernardum versari placuit, non modo propter eximium et multiplex viri ingenium, quod penitus explorare nemini hactenus datum est nec ulli forte ultra dabitur, sed quia theologum, obtrectatorem[1] philosophiæ, deprehendere volui philosophantem, non inverecundo quidem conatu, imò ut inde ipsi, licet invito, novus honos, philosophiæ decus insperatum accederet. Attamen

[1] « Philosophorum ventosa loquacitas non bonus imber est, qui sterilitatem magis intulit terris, quam fertilitatem. » In Cant. Serm LVIII, p. 1466, et alibi, p. 934, 1099, etc.

philosophia illa recondita et suì quasi nescia, quam elicere, eruere, segregare aggredior, ita theologiæ cognata adhæret ut divortium plane consummari nequeat, ac periculum sit ne, dum Bernardo philosophicas partes tribuo, ipse, novo prorsus miraculo, theologus evadam. Propositum meum nihilominus persequar, ut, omnia quæ de naturâ animæ hominis subjecit Doctor mellifluus, passim disseminata, colligam et collecta ordinem, donec disjecta doctrinæ membra, in corpus integrum, si fas sit, coaluerint. Mihi igitur, quæ Bernardus de mentis humanæ origine, naturâ et facultatibus senserit disquirendum est atque exponendum.

§ 1.

DE ORIGINE ET NATURA ANIMÆ.

1. Quum Bernardum, nullatenus opinatorem, inconcussa fides ad asserendum plerumque impellat, colligentibus ubertas doctrinæ potius quam disceptationum subtilitas aut opinionum controversia occurret. Pauca etenim de suo loquitur doctor scripturæ innixus, pergens qua Deus viam monstrat et lumen præfert. Ideo, tradita iterare solitus, affirmat rarius autem disputat.—Quatuor spirituum genera agnoscit, scilicet Dei per rationem, angelorum per fidem, hominis per experientiam, pecudum per ratiocinium. Ille spiritum pecudibus quem postea

[1] Quatuor spirituum genera nota sunt nobis, pecoris, noster, Angelicus et qui condidit istos. In Cant. Serm. V. p. 1275.

Cartesius noster negavit, libenter tribuit, nec immeritò quidem, quum materia naturâ iners, motui addendo communicandoque sit impar.

II. Animam hominis è Cœlo originem ducere Bernardus profitetur, nec tamen eam divinæ particulam auræ esse asserit quod inde non jam creatura Dei, sed emanatio consubstantialis videretur. Cœlestis hæc origo multis patet argumentis : « nempe unum Deum adorat et colit anima, quomodo angeli ; casta est quomodo angeli ; idque in carne peccati, quod non angeli ; quærit postremo et sapit quæ ad illos sunt, non quæ super terram : quod evidentius cœlestis insigne originis quam ingenitum et in regione dissimilitudinis retinere similitudinem ; gloriam vitæ cœlibis in terrâ et ab exule usurpari ; in corpore denique pene bestiali vivere angelum ? Cœlestis sunt ista potentiæ non terrenæ ; et quod vere de Cœlo sit anima quæ hæc potest, aperte indicant [1]. » Nec multo post subjicit orator : « ego puto omnem animam talem non modo cœlestem esse propter originem, sed et cœlum ipsum posse non immerito appellari propter imitationem ; et tunc liquido ostendit, quia vere origo ipsius de cœlis est, quum conversatio ejus in cœlis est. Est ergo cœlum sancta aliqua anima, habens solem intellectum, lunam fidem, astra virtutes. »

III. Anima non modo cœli patrii notas retinet quæ originem manifestam faciant, sed quoddam præfert Dei, scilicet trinitatis, vestigium, ut sit, non imago Dei, sed

[1] In Cant. Serm. XXVII, p. 1362.

ad Dei imaginem [1]. Nempe imago Dei Verbum : « Verbum est veritas, est sapientia, est justitia : et hæc imago. Cujus? justitiæ, sapientiæ et veritatis. Est enim imago hæc justitia de justitiâ, sapientia de sapientiâ, veritas de veritate, quasi de lumine lumen, de Deo Deus. Harum rerum nihil est anima, quoniam non est imago. Est tamen earumdem capax appetensque et inde fortassis ad imaginem, celsa creatura, in capacitate quidem majestatis, in appetentiâ autem rectitudinis insigne præferens [2]. » Hoc, igitur, Verbi, quod est Dei imago, imaginem anima se probat quod sit justitiæ, sapientiæ, veritatis capax et appetens, quæquidem Verbum revera continet, exprimit, perficit; ideo Verbo impar non absimilis.

IV. Non hisce continetur omnis animæ cum Verbo convenientia et similitudo, quum non modo sit capax et cupida boni et veri, sed insuper simplicitate, immortalitate, libertate Dei creatura creatorem referat. Simplicitatem animæ non ex intellectûs operibus ut recentiores philosophi deducit Bernardus, sed argumento confirmat, dicamne ontologico? dicere liceat, quod illi idem sit esse et vivere. « Anima enim est vita vivens quidem, sed non aliunde quam seipsâ : ac per hoc non tam vivens, quam vita, ut proprie de eâ loquamur. Inde est quod infusa corpori vivificat illud, ut sit corpus de vitæ

[1] Serm. de Divers. XLV. p. 1180. « Unus deus, summa potentia, summa sapientia, summa benignitas, creavit quamdam trinitatem ad imaginem et similitudinem suam, animam videlicet rationalem. »

[2] In Cant. Serm. LXXX. p. 1546.

præsentiâ, non vita, sed vivens [1].» Vita enim quæ non est a seipsâ, qualis arborum et pecorum, sensu altera vigens, altera carens, tamdiu durat, quamdiu vivificat. Quæquidem, pecora videlicet et arbores, quum cessant vivere, tamen esse non desinunt; solvuntur pariter et dissolvuntur et cum ex pluribus constent, non propterea rediguntur in nihilum sed dissiliunt in partes [2].

Argumenti caput, quod Bernardus probare omisit, supplendum est, scilicet animam non modo vivere sed vitam esse. Vitam etenim motûs causam esse liquet; porro anima proprio motu fertur ac movetur; ergo anima non tantum vitalis, sed vita : quod si anima vita est, simplicem esse oportet, nam si multiplex, solvi ac dissolvi posset, nec vita amplius esset, manifestâ contradictione : ergo animam simplicem esse apparet. Hæc Bernardini argumenti series restituenda fuit ne doctor paralogismi, quem principii petitionem nuncupamus, argueretur.

Anima cum sit quædam vita, id est vis vivens à se (licet per deum), inde sequitur non modo simplicem sed et immortalem esse. Unde enim vitæ mors incumberet? « Immortalis anima est; quoniam cum ipsa sibi vita sit, sicut non est quo cadat a se, sic non est quo cadat a vitâ [3].» Immortalitate Verbo similis anima non æqualis : vera namque immortalitas nullam vel mutationem, vel suì diminu-

[1] In Cant. Serm. LXXXI. p. 1550.

[2] *Ibid.*

[3] In Cant. Serm LXXXI. p. 1550.

tionem patitur : cum autem anima pravis affectibus quâdam suî parte, nec ignobiliori, mutetur àc pereat, agnoscat necesse est « se deo in immortalitate similem ut sciat sibi deesse non modicam immortalitatis partem, soli cedens absolutam perfectamque immortalitatem, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio [1]. »

Libertas eodem jure animæ humanæ competit, quod cum vita sit, suî regimen non immerito vindicet. Liberum quippe arbitrium, scilicet deliberandi, eligendi et consentiendi potestatem naturaliter tenet nec amittere quâlibet vi incurrente potest. Tamen absolutam libertatem non retinet, et cum libera sit, quodam modo simul ancilla deprehenditur. Sed quæ de hac quæstione fusius Noster disseruerit, ad aliam hujusce disceptationis partem, sepono.

Triplicem hanc simplicitatis, immortalitatis, libertatis dotem e metaphysicâ vitæ notione, secundum Aristotelem, deduxisse videtur Bernardus. Non nulla insuper passim colligere est de naturâ animæ, quæ exponere proposito convenit.

V. Anima quædam trinitas est quæ tres personas agit, quum in unitate vim vitalem, seu physiologicam, vim sensibilem aut quasi carnalem, vim demum rationalem complectatur. Non ideo Bernardus tres animas agnoscit sed uni tria munera tribuit, ut corpus vivificet, sensus

[1] In Cant. Serm. LXXXI. p. 1551.

moveat et acuat, intellectum illuminet. « Huic limo terreno vim vitalem (Deus) miscuit, ut in arboribus, unde surgit venustas in foliis, in floribus pulchritudo, sapor in fructibus et medicina. Nec hoc contentus, adjecit etiam vim sensibilem limo nostro, ut in pecoribus, quæ non solum vitam habeant, sed et sentiant quinquepertitâ sensificatione vigentes. Addidit adhuc honorare limum nostrum, et ei vim rationalem immisit, ut in hominibus, qui non solum vivunt, sentiunt sed et discernunt inter commodum et incommodum, inter bonum et malum, inter verum et falsum. [1] » Hoc quidem loco non modo tripartitam sed triplicem animam innuere videtur, sed si conferas verba superiùs allata « anima infusa corpori vivificat illud » et alias « quum in toto quoque sit corpore [2] » nec non hunc, qui vere explicat, locum : « Constat animam inferiori proinde viliorique essentiæ, quod est corpus, inhærere non modo officio vivificandi ac sensificandi sed et fovendi nutriendique desiderio [3] » tunc vera doctoris sententia elucescet. Cui equidem non omnino adhærere mihi videor, proniori quippe in opinionem recentioris necnon eximii philosophi [4] qui vitam quâ constat homo duplex strenue scindens, alteram in corpo-

[1] In Vigil. Nat. Dom. Serm. III. p. 753.

[2] Serm. in Psalm. I. p. 830.

[3] In Cant. Serm. XXX. p. 1378. Eadem exprimit alibi : « Habet quippe anima tria facere in corpore, vivificare, sensificare, regere. » Serm. de Div. LXXXIV. p. 1205. « Ipsa est quæ linguæ vocem, palato gustum, motum membris omnibus subministrat. » Ser. VI. 730.

[4] Jouffroy *Mél. Philos.* p. 272 et passim.

ris officiis, alteram in intellectu et affectu, substantiam operari, profitetur.

VI. Nil de corporis cum animâ vinculo disseruit Bernardus : cujus consortii mysterium nusquam explanare tentavit, forte non suspicatus nodum hic adesse qui solveretur : nam quum, in omnibus quæ natura amplectitur et quibuslibet creaturis, eadem spiritûs moventis et materiæ inertis societas appareat, spectanti consuetudo miraculum abstulit. Corpori tantum, quanto sit honori, illa cum animâ immortali societas, vivide exprimit, suavissimo sermone et aptâ, mirum in modum, similitudine : «Nobilem hospitem habes, ô caro, nobilem valde et tota salus tua pendet de ejus salute. Da honorem hospiti tanto. Tu quidem habitas in regione tuâ, anima vero peregrina et exsul apud te est hospitata. Quæso te, quis rusticus, si forte nobilis et præpotens quispiam apud eum voluerit hospitari, non libenter in angulo domûs suæ, aut sub gradibus suis, vel in ipsis cineribus accubabit, cedens hospiti suo locum (sicut dignum est) potiorem? et tu ergo fac similiter. Injurias vel molestias tuas ne reputaveris : tantum ut hospes tuus honorificè possit apud te demorari. Honor tibi est, ut pro eo interim te exhibeas inhonoratam [1]. »

Hæc igitur de animæ origine et naturâ in Bernardi scriptis reperimus, scilicet animam è cœlo originem ducere, similitudinem quamdam Verbi referre; vitam, id

[1] In adventu Dom. Ser. VI., p. 730.

est vim a se viventem esse, et ideo simplicitatem, immortalitatem, et libertatem retinere; triplicem personam in unitate agere, nempe vivificandi, sensificandi, regendi; hanc vim demum quasi hospitem corporis habitaculo contineri cui naturali quodam vinculo adhæret. In hac parte summa rerum, id est generalia, attigimus, nunc ad peculiaria descendendum ut colligamus quæ Noster de intellectu, affectu et voluntate senserit et exposuerit.

§ II.

DE INTELLECTU.

VII. Totus homo corpore, carne et animâ constat. Corpus hospitium animæ, domus quidem rectæ, pravæ carcer. Per carnem, spiritûs scilicet et materiæ mixturam, motus et appetitus sensuum designantur. Anima rationalis nihil aliud est quam memoria, ratio, voluntas [1]. De his disserendum. Memoriam vix attingit Bernardus, sine quâ tamen animam non posse aliquando vivere prædicat [2]. De ratione autem multa profert, quæ referam.

Rationi veritas finis est, quam ut adipiscatur tria præsto

[1] De Conv. ad. Cleric. cap. VI. p. 483. Serm. in fest. Pentec. I. p. 929. — « Ut de corpore taceam, in anima tria intueor : rationem, voluntatem, memoriam et hæc tria animam esse. » In Cant. Serm. XI. p. 1296.

[2] « Durante animâ durat et memoria; sed qualis? Fæda flagitiis, horrida facinoribus, vanitate tumida, contemptu hispida et neglecta. » De Consid. Lib. V. Cap. XII. p. 456.

sunt : fides, intellectus, opinio. « Quorum intellectus ratione nititur, fides auctoritati, opinio solâ veri similitudine se tuetur. Habent illa duo certam veritatem; sed fides clausam et involutam, intelligentia nudam et manifestam : cæterum opinio certi nihil habens, verum per veri similia quærit potius quam apprehendit [1]. » Auctoritas quâ fides nititur, vel ex homine vel a Deo : si a Deo nil aliud requirit quam testimonii certitudinem; sin ex homine, quum testimonium falsitatis aut ignorantiæ, nempe ex hominis pravitate et imbecillitate, reum sit, testimonii sinceritas approbanda. Quæ sic proponuntur, veritatis locum obtineant necesse est apud rationem. Intellectus se ipse probat. Quum enim rationi lucem inferat, quæ judicanti vim faciat, veritatis præsentia agnoscenda est [2]. Lux illa quam *evidentiam* dicimus, unicum veri argumentum est, evidentia de re, per intellectum, evidentia de legitimo testimonio, per fidem [3]. Opinari autem non terminus sed via bifurcata, quæ bivio nunc ad veritatem, nunc ad errorem ducat.

[1] De Consid. Lib. V. Cap. III. « Verus intellectus certam habet non modo veritatem, sed notitiam veritatis. Fides est voluntaria quædam et certa prælibatio necdum propalatæ veritatis. Intellectus est rei cujuscumque invisibilis certa et manifesta notitia. Opinio est quasi pro vero habere aliquid quod falsum nescias. Ergo fides ambiguum non habet; aut si habet, fides non est, sed opinio. Quid igitur distat ab intellectu? Nempe quod et si non habet incertum, non magis quam intellectus, habet tamen involucrum, quod non intellectus. Denique quod intellexisti, non est de eo quod ultra quæras : aut si est, non intellexisti. Nihil autem malimus scire quam quæ fide jam scimus. *Ibid.*

[2] Cf. Mallebranche. *De la Recherche de la vérité*. Cartes. de Meth.

[3] « Fides non est æstimatio : sed sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. » Tract. de Error. Abel. 649.

VIII. Triplex igitur fons doctrinæ humanæ, credere, intelligere, opinari. Quibus autem adminiculis seu instrumentis rerum notitia acquiratur vel quo pacto, anima corporis carcere inclusa, ad rerum notitiam assurgat quærendum est. Quædam de hac quæstione quæ Aristotelem, non nulla quæ Platonem sapiant, reperire est. Attamen quum nusquam hanc philosophicam quæstionem, mediæ ætatis scholis tritam, in controversiam Bernardus adduxerit, ipsius opinionem inductione potius quam argumentis eliciemus. Illum nec in Nominalium partes ivisse, nec mediam Abelardi sententiam probavisse, plusquam veri simile esse mihi videtur, nempe ex assuetis doctrinæ fontibus, nec non et ex inimicitiis. Realistis ergo secure annumerandus. Multa tamen corporis sensibus in acquirendis notionibus tribuit, hoc quidem loco : « Verum nos vivimus post corpus, sed ad ea quibus beate vivitur, nullus nobis patet accessus nisi per corpus. Ipsa siquidem quæ facta sunt, id est corporalia et visibilia, ista non nisi per corporis instrumentum sensa, in nostram notitiam veniunt [1]. » Hoc quidem non idem sonat ac veteris illud philosophiæ axioma : « Nihil est in intellectu quod non prius fuerit in sensu. » Etenim corporalia ac visibilia tantummodo sensibus tribuens Bernardus, non modo præclaram Lebnitzii exceptionem « præter intellectum » subaudit, sed et interiores animæ sensus et mundum intelligibilem seponit qui, conscientiæ et rationis propriâ virtute, innotescunt.

[1] In Cant. Serm. V. p. 1275. « His præcipue duobus sensibus, id est visui et auditui nemo fidem putat esse negandam. » De offic. Episc. Cap. VI. p. 470

Innatas animæ facultates, innatum rectitudinis saporem et ordinis amorem nec non et divinæ notionis quoddam vestigium multis agnoscit tum verbis, tum sententiis. Ibi afferendus mihi videtur locus quo Bernardus Socraticas partes amplectens in primis ponit *nosce teipsum*, unde anima ad notitiam Dei prætervolat. «Volo proinde animam primo omnium scire seipsam, quod id postulet ratio et utilitatis et ordinis... hoc modo erit gradus ad notitiam Dei cognitio suî et ex imagine suâ, quæ in te renovatur, ipse videbitur [1]. »

Se splendide Realistam, imo Platonicum, probavit quum Gilberti Porretani doctrinam in concilio remensi retudit, divinitatem scilicet quâ Deus est Deus, justitiam quâ justus, bonitatem quâ bonus, sapientiam quâ sapiens efferens et aperte substantialem declarans, « Recedant, inquit, a nobis novelli, non dialectici, sed hæretici, qui magnitudinem quâ magnus est Deus, et item bonitatem quâ bonus; sed et sapientiam quâ sapiens et justitiam quâ justus, postremo divinitatem quâ Deus est, Deum non esse impiissime disputant... Si quid de Deo proprie dici posset, rectius congruentiusque dicetur Deus est magnitudo, bonitas, justitia, sapientia, quam Deus est magnus, bonus, justus aut sapiens [2]. » Eamdem sententiam de ideis generalibus sive abstractionibus, quæ ad hominem et creaturas competunt, eodem loco profitetur : « Non sua magnitudo

[1] Serm. In Cant. XXVI. p. 1400-1.

[2] In Cant. Serm. LXXX. p. 1548.

anima [1], non magis quam sua nigredo corvus, quam suus candor nix, quam sua risibilitas aut rationalitas homo: cum tamen nec corvum sine nigredine, nec sine candore nivem, nec hominem qui non risibilis sit et rationalis umquam reperias, ita et anima et animæ magnitudo, etsi inseparabiles, diversæ tamen ab invicem sunt. Quo modo non diversæ cum hæc in subjecto, illa subjectum et substantia sit? » Ex his liquet, quomodo Deus bonitate bonus, justitiâ justus, sapientiâ sapiens, sic corvum nigredine nigrum, nivem candore candidam, animam magnitudine magnam apparere, et ideo bonitatem, justitiam, sapientiam, nigredinem, candorem et magnitudinem, non nomine tantum, vel mentis conceptu, sed re ipsâ vigere et consistere.

IX. Hactenus de veritatis fontibus et instrumentis ac de idearum origine: nunc exquirendum quâ mentis intentione, quâ intellectûs purgatione, animæ ad veritatem fiat aditus. Quamvis Bernardus cogitandi methodum non explicuerit nec quatuor illos errorum fontes quos Verulamius non nove, sed novâ et longius arcessitâ formulâ innuit, scilicet idola specûs, idola fori, idola theatri, idola tribûs, designaverit, multa tamen, quæ ad vitandos errores et veri viam ineundam prosint, indicavit. Tota vero illius doctrina de regendo intellectu ad ethicam potius quam ad logicam spectat. Anima enim

[1] «Non est sua magnitudo anima. Nam etsi anima non invenitur absque magnitudine suâ, ipsa tamen et extra animam reperitur.» *Ibid.* p. 1547.

«Trabes in oculo grandis et grossa superbia in mente est.» Tract. de Grad. Humilit. Cap. IV. 565.

superbiâ, odio [1], propriæ utilitatis respectu, veritatis contemptu [2], nimiâ curiositate [3] excæcatur, pravis affectibus mentis acies hebetatur aut in transversum agitur; ideo initium et finis scientiæ a Dei amore. Quod si anima, veritatis capax, veritatem pro ipsius mensurâ recipere velit, voluntas ordinetur, affectus purgetur, intellectus docilem se præbeat [4]. Nam « conformitas animam Verbo maritat [5]. » Non igitur vanis scholarum disputationibus, non temerariâ absconditorum indagatione vera cognitio attingitur, sed simplicitate mentis, morum castitate, benigno erga Deum obsequio, pars illa veritatis quam homini assequi datur, hominis animam illuminat [6].

[1] Odium veritatis judicium nescit. Ibid. p. 571.

[2] « Cum veritatem contemnerunt, jure receperunt ut non cognoscerent. Quid iniquius quam contemnere veritatem? Quid vero justius quam et contemptoribus substrahi et ipsam cognitionem. » Epist. XVIII. p. 36.

[3] Tract. de Grad. Hum. Cap. VI. p. 571.

[4] « Duo ergo sunt quæ in nobis purganda sunt, intellectus et affectus, intellectus ut noverit, affectus ut velit. » In Asc. Dom. Serm. III. p. 914.

[5] Serm. In Cant. LXXXIII. p. 1557.

[6] « Factâ igitur de medio iniquitate, quæ eam, quæ ex parte est, dissimilitudinem facit, erit unio spiritûs, mutua visio, mutuaque dilectio. Siquidem veniente quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est : eritque ad alterutrum casta et consummata dilectio, agnitio plena, visio manifesta, conjunctio firma, societas individua, similitudo perfecta. Tunc cognoscet anima, sicut cognita est, tunc amabit sicut amata est. In Cant. » Serm. LXXXII. page 1556-7.

§ III.

DE AFFECTU.

X. Affectus omnia, quæ ad corporis appetitus et concupiscentiam et animæ motus spectant, continet. Inter utrumque medius, quum miscetur corpori, carnis, quum animæ sociatur, cordis nomen accipit. Omnes igitur affectus, cor et caro complectuntur, quorum primus impetus necessitatis est, non voluntatis [1].

Cum præcipue carnem sibi vindicet nequam ille generis humani hostis, in eàque lasciviat, ut, quæ natura ad procreationis usum, famem, sitimque explendam dedit, ad luxuriam, ebrietatem et gulam transferat, nil mirum est si Bernardus magnus castitatis et abstinentiæ auctor hanc luem de medio tollere aut saltem spiritui mancipare tentaverit. Ideo illam strenue insectatus, carnis delicias spiritûs corruptelam [2], domesticum hostem [3], laqueum animæ [4], multis perstringit. Curam

[1] « Vita, sensus, appetitus, memoria, ingenium, et si qua talia sunt, eo ipso subjacent necessitati quod non plene subdita sunt voluntati. » Tract. de lib. Arbit. Cap. II. p. 605.

[2] « Hæc infirmantium sunt fomenta non arma militantium. » Epis. I. p. 6.

[3] « Quam domesticus hostis, quam periculosa lucta, quam intestinum bellum! Hostem hunc crudelissimum nec fugere possumus nec fugare. » In Domin. VI. post. Pent. Serm. III. p. 942. — « Caro, quâ nullus vicinior hostis. » In Vig. Dom. Serm. II. p. 758.

[4] « Gestamus laqueum nostrum; carnem hanc loquor de peccato natam. » In Quadrag. Serm. V. p. 822.

carnis homine indignam profitetur, in illius servos invehitur [1], et quò certius christianos ad hanc pestem debellandam impellat, post certaminis gravissimos quidem labores, victoriæ suavitatem describit [2]. Carnali dominatione non modo mores fœdantur sed et obscuratur intellectus cui nec vitæ finis nec via amplius apparet. Nec tanti sunt istæ voluptates quibus fruendis anima pessumdetur, nam viventi luctuosas [3] ac pœnitendas delicias afferunt quæ mortuæ non supersint, nisi ad pænam. « Pulcre, vino comparant carnalem affectum. Ut enim uva semel expressa non habet jam quod denuo fundat, sed perpetuâ ariditate damnatur, sic caro pressurâ mortis ab omni prorsùs suâ delectatione siccatur, nec ultra revirescit ad libidines [4]. »

Hæc de carne Bernardus quam frænandam, regendam et ad finem a naturâ institutum redigendam censet. Nunc ad cor, scilicet moralem et spiritualem affectûs partem, veniendum.

XI. Cor totum [5] quatuor affectibus constat, amore,

[1] « Videmus sane non nullos tabernacula sua in turpissimæ captivitatis domicilia commutasse, nec militare in his, sed miseram gerere servitutem. » In. Psalm. Serm. X. p. 854.

[2] « Revera cum inceperis, tristitia implebit cor tuum, sed si perseveraveris, tristitia tua convertetur in gaudium, etc. » In. Asc. Serm. III. p. 917.

[3] In Cant. Serm. IX. p. 1291.

[4] « Gaudent in cibis, gaudent in pompis, gaudent in divitiis, gaudent et in vitiis homines; sed luctus occupat extrema ejusmodi gaudiorum. » De Div. Serm. I. p. 1086.

[5] « Attende solerter quid diligas, quid metuas; unde gaudeas aut contristeris.

timore, gaudio et tristitiâ, naturâ nec bonis nec pravis, sed ad malum sicut ad bonum idoneis. « Sunt autem istæ quatuor affectiones notissimæ. Absque his non subsistit anima humana, sed quibusdam in coronam, quibusdam in confusionem. Purgatæ enim et ordinatæ gloriosam in virtutum coronâ reddunt animam, inordinatæ per confusionem dejectam et ignominiosam. Purgantur autem sic. Si amantur quæ amanda sunt, si magis amantur quæ magis amanda, si non amantur quæ non amanda sunt, amor purgatus erit. Sic et de cæteris [1]. » Sic ad purgationem affectuum non modo requiritur intentionis rectitudo ne in malam partem divertantur, sed et modus, ne citra maneant, vel ultra provehantur.

Amor omnes affectus absorbet [2] et cor totum, quum prævalet, sibi vindicat. Quatuor in illo gradus numerare est. « In primis diligit seipsum homo propter se. Caro quippe est et nil sapere valet præter se. Cumque se videt, per se, non posse subsistere, Deum quasi sibi necessarium incipit per fidem inquirere ac diligere. Diligit itaque in secundo gradu Deum, sed propter se, non propter ipsum. At vero cum ipsum cæperit occasione propriæ necessitatis colere et frequentare, cogitando, legendo, orando, obediendo, quâdam hujusce modi

Totum enim cor in his quatuor affectionibus est, et de his accipiendum puto quod dicitur ut in toto corde tuo convertaris ad dominum. » De Jejun. Serm. II. p. 817.

[1] Serm. de Divers. L. p. 1185.

[2] « Amor sibi abundat, amor ubi venerit, cæteros in se omnes traducit et captivat affectus. » In Cant. Serm. LXXXIII. p. 1558.

familiaritate paulatim sensimque Deus innotescit, consequenter et dulcescit : et sic gustato quam suavis est dominus, transit ad tertium gradum, ut diligat Deum non jam propter se, sed propter ipsum. Sane in hoc gradu diu statur et nescio si a quoquam hominum quartus in hac vitâ perfectè apprehenditur, ut se scilicet diligat homo tantum propter Deum[1]. » Hæc igitur scala affectùs, hominis amor propter se, Dei propter hominem, Dei propter ipsum, hominis propter Deum, quæquidem naturæ imbecillitati accommodatur, quum per carnis servitium homo sibi primum adhæreat, nec nisi gradatim ad superiora assurgere queat. Si in animâ hominis invaluerit tertius hic amor, cæteros affectus recte ordinat nec sinit pravas cupiditates in mente tumultuari.

Ex amore sic ordinato oritur, quasi de fonte, timoris, gaudii et lætitiæ purgatio. Inde quoque profluit humilitas quæ cordis bene compositi pignus est et argumentum, simul et caritas quæ hominem Deo, hominibus homines dulci vinculo alligat. Recto amore suì et Dei generantur, humilitate condiuntur et servantur boni affectus : nam ut per superbiam lapsæ sunt animæ, sic per humilitatem illis resurgere datum est. Amoris igitur purgatio cor totum ordinat, quum timorem, gaudium et lætitiam identidem purget, caritatemque infundat et humilitatem.

Cor autem superbiâ depravatur, quæ primo gradu amoris innixa, animam in suì ipsius admiratione detinet,

[1] Tract. de Dilig. Deo. Cap. XV. p. 601.

unde nec Deo nec proximo adhærere valet. Superbiæ gradus accurate notat Bernardus in tractatu qui de Humilitatis gradibus inscribitur [1]. Inde oriuntur omnes pravi cordis affectus, odium, invidia, iracundia, quorum quidem naturam describere ad ethicam pertinet.

Hæc Bernardi de affectu accurate disposita, curiosum naturæ humanæ et callidum interpretem arguunt : carnis nempe et cordis partes industrie dividit, utriusque commercium indicat, et quâ ratione intellectum vel inficiant vel adjuvent egregie monstrat. Nunc mihi, eodem duce et auspice, de libero arbitrio disserendum, ut tota hujusce disquisitionis materia absolvatur.

§ IV.

DE LIBERTATE.

Libertatem, *periculosæ plenum opus aleæ*, aggredior. Hæc enim facultas quæ hominem perficit, quum conscientiæ manifestam et ipsâ luce clariorem se præbeat, ægre argumentis qualibuscumque firmari potest, nempe, hinc affectuum necessitate interiori, externâ autem illinc Dei præscientiâ, impugnata. Hæc solvere philosophis arduum est nec omnino expedit; theologis vero qui,

[1] Hos sic distribuit; curiositatem, levitatem animi, ineptam lætitiam, jactantiam, singularitatem, arrogantiam, præsumptionem, defensionem peccatorum, simulatam confessionem, peccandi libertatem denique et consuetudinem. Vid. Tract. de Grad. Humil. C. X et seq p. 571 et seq.

ne pereat Dei erga hominem assidua cura, nec Christi immolatio efficaciâ et merito fraudetur, Gratiam operantem, sufficientem, perficientem, nec non et prædestinationem, in hujusce litis ambages, quasi in silvam ligna ferentes, importaverunt, major ac pene inextricabilis difficultas accedit. In hoc quippe laborant ut sinceram arbitrii libertatem homo retineat, nec quidpiam Dei scientiæ aut Christi meritis detrahatur. Peritioris sit ac sagacioris hæc elucidare et enodare, mihi tantum referre convenit.

XII. Triplicem Bernardus libertatem agnoscit : arbitrii, quæ velle est ; consilii, quæ sapere ; complaciti, quæ posse valet. Integram arbitrii libertatem manere profitetur, cæteras autem, consilii scilicet et complaciti, per peccatum amissas, nisi per Deum restitui. Liberum arbitrium suî defectum seu diminutionem non patitur [1] ; totum quippe in voluntate continetur ab homine non dissociandâ. Ibi afferenda ipsius Bernardi verba, quò sententia apertius innotescat : « Manet, post peccatum, liberum arbitrium, etsi miserum tamen integrum. Et quod se, per se, homo non sufficit excutere a peccato sive miseriâ, non liberi arbitrii signat destructionem, sed duarum reliquarum libertatum privationem. Neque enim ad liberum arbitrium, quantum in se est, pertinet aut aliquando pertinuit posse vel sapere, sed tantum velle : nec potentem facit creaturam, nec sapientem, sed tantum volentem. Non ergo si potens, aut sapiens, sed

[1] In Cant. Serm. LXXXI. p. 1552.

tantum si volens esse desierit, liberum arbitrium a misisse putanda erit. Ubi enim non est voluntas, nec libertas. Non dico si velle bonum, sed si velle omnino creatura desierit ; fatendum sine contradictione, ubi non jam ex voluntate bonitas, sed ipsa ex toto voluntas periit, etiam liberum deperire arbitrium. Quod si velle bonum tantum non poterit, signum est quod ei desit liberum, non arbitrium, sed consilium. Si autem non quidem velle, sed ad id quod jam vult bonum, ei posse defuerit; noverit sibi deesse liberum complacitum, non liberum periisse arbitrium. Si ergo liberum arbitrium ita ubique sequitur voluntatem, ut nisi illa penitùs esse desinat, isto non careat; voluntas vero sicut in bono, ita etiam in malo æque perdurat; æque profecto et liberum arbitrium, tam in malo quam in bono, integrum perseverat. Et quomodo voluntas etiam posita in miseriâ non desinit esse voluntas, sed dicitur et est misera voluntas, sicut et beata voluntas, ita nec liberum arbitrium destruere, sive (quantum in se est) aliquatenus imminuere poterit quæcumque adversitas vel necessitas [1]. »

Quum hunc perangustum libertati locum reliquerit doctor, hoc extremum humanæ dignitatis propugnaculum totis viribus tueri tentat, ne per rimulam, hoste ingruente, anima ipsa cum libero arbitrio corruat. Vim igitur quam aliquando patitur ipsa voluntas, voluntati tribuit. « Interveniente peccato, patitur quamdam vim homo, sed a voluntate non a naturâ, ut ne sic quidem

[1] De lib. Arb. Cap. VIII. p. 613.

ingenitâ libertate privetur... Nam quod surgere anima per se jam non potest quæ per se caderė potuit, voluntas in causâ est... Voluntas enim est, quæ se quum esset libera, servam fecit peccati, peccato assentiendo, voluntas nihilominus est, quæ se sub peccato tenet, voluntarie serviendo... Non utique voluntas retinetur non volens. Voluntas enim volentis est non nolentis. Quod si volens retinetur, ipsa se retinet..... Ubinam, quæso, hanc necessitatem sentis, nonne in voluntate [1]? » Integra igitur servatur arbitrii libertas, sed quantulum sit hoc naturæ donum ab ipso doctore accipiemus : « Velle siquidem inest nobis ex libero arbitrio, non etiam posse quod volumus. Non dico velle bonum, aut velle malum, sed tantum velle. Velle etenim bonum profectus est; velle malum defectus. Velle vero simpliciter, ipsum est quod vel proficit, vel deficit [2]. » Nec mirum si hominem tantulæ libertatis compotem confessus, talia ingemuerit : « Anima miro quodam et malo modo sub hac voluntariâ quadam ac male liberâ necessitate et ancilla tenetur et libera : ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem : et quod magis mirum, magisque miserum est, eò rea quò libera, eòque ancilla quò rea, ac per hoc eò ancilla quò libera. Miser ego homo, quis me liberabit a calumniâ hujus pudendæ servitutis? Miser sed liber. Liber quia homo, miser quia servus. Liber, quia similis Deo : miser, quia contrarius Deo [3]. »

[1] In Cant. Serm. LXXXI. p. 1552.

[2] Tract. de lib. Arb. Cap. VI. p. 610

[3] In Cant. Serm. LXXXI. p. 1552.

XIII. Ex hac humanæ animæ infirmitate, oritur apud theologos, illa de Gratiâ doctrina tot et tantis dissidiis nobilitata. Hanc paucis exponere liceat. Homo primum triplicem libertatem sortitus erat, non modo liberum arbitrium, sed quam Bernardus consilii et complaciti libertatem vocat, ita ut velle bonum et perficere, vi propriâ posset. Quum autem hoc solum valeret posse non peccare, non peccare non posse, lapsus est et labe peccati non modo seipsum, sed et prolem futuram infecit, unde nec bonum velle, nec patrare, nisi deo adjuvante, homini contingit. Hoc Dei beneficium, propter Christi merita, humano generi, gratis datum, Gratia nuncupatur. Quæquidem in animâ operatur ut vires suppeditet, tum ad bene cogitandum, tum ad recte agendum. Sic duplex Gratia invenitur, prima quæ rectam voluntatem, secunda quæ actum legitimum perficiat.

Intelligitur Gratia Dei in animâ hominis operatio, quâ intellectum illuminat et voluntatem movet, ut opus bonum adimpleatur, aut mali libido avertatur. Sic intellectus ignorantiâ cœcus, et voluntas carnis servitio debilis, lumen et robur accipiunt indeliberato motu divinitùs addito. Præveniens aut operans dicitur Gratia, quum animæ lucem affert, subsequens aut cooperans quum ad actum impellit: Gratia operans, vel efficax, vel sufficiens: efficax, si certe et indubitanter voluntatis consensum procuret, sufficiens vero si anima reluctetur et contradicat. In utroque casu, non nullus libertati locus datur, quum in primo resistere possit, in posteriore resistat voluntas. De his consentiunt theologi quos non hereseos damnavit Ecclesia.

Gratiæ doctrinam a Paulo et Augustino acceptam, integram servat Bernardus. Multa Deo, multa Christo tribuit, hoc homini relinquens ut per se velit, et bono vel malo, non coactus, consentiat. Medium quippe tenet inter Pelagium qui peccatum primi parentis uni Adamo adscribens, Christum fraudabat, et Lutherum, Calvinum et doctrinarum consortes, qui plus æquo Gratiæ tribuentes, ipsum arbitrium servum effecisse videntur. Has lites componere non nostrum est. Satis fuit indicare quæ Doctor noster de libertate senserit et Dei cum animâ commercium attigisse. Hoc tantum subjicere liceat. Hæc de Gratiâ doctrina quæ theologos miscuit, quam deridendam non nulli populo propinaverunt, non omnino mihi omittenda videtur, vel philosophantibus; nemini etenim non contigit, vel cogitanti, vel agenti, aut lucem affulgere, aut vires succressere quæ præter animam videbantur et extra voluntatem, ut pene clamandum fuerit: « Deus, ecce Deus! »

XIV. Quæ supra attuli e variis Bernardi operibus deprompta, per ordinem digesta, totam illius de animâ doctrinam, ni fallor, conficiunt. Si quædam proposui quæ omittenda fuissent aut proponenda omisi, non incuria sed infirmitas culpetur. Nunc quasdam sententias excerpam quæ doctrinæ summam contineant et controversiæ apta videantur.

I. Cælestis animæ origo probatur eò quod sit justitiæ, sapientiæ ac veritatis capax et appetens.

II. Anima vita est et ideo simplex, immortalis et libera; quum vitæ notio simplicitatem, immortalitatem et libertatem contineat.

III. Animæ tria munera, vivificare, sensificare, illuminare. Unde non scindenda vita quam physiologicam nominant à psychologicâ.

IV. Scientia hominis tribus fontibus oritur, intellectu, fide et opinione.

V. Unicum veritatis argumentum evidentia.

VI. Intellectus e suî ipsius cognitione ad Dei notionem evehitur.

VII. Generales ideæ non nomine tantum aut conceptu subsistunt, sed re.

VIII. Per spiritûs humilitatem et munditiam cordis veritas recluditur.

IX. Affectus carne et corde constat. Quibus artibus sit caro domanda, cor purgandum.

X. Quid sit triplex libertas arbitrii, consilii, complaciti.

XI. Quid de Gratiâ sentiant theologi.

Hunc meum laborem ultra proferre primum in mente fuerat, ut omnia colligerem quæ in Bernardi scriptis ad ethicam et Dei naturam spectant, sed ubertas materiæ, nimia cogitanti, modum imposuit. Mihi saltem, grandes mellifluі doctoris paginas, pertinaci animo, evolvisse, philosophiamque nuper omissam, desueto mihi dudum sermone, denuo tractavisse, pro merito sit, et si quid erravi, hoc, diligentiæ et qualiscumque industriæ nomine, condonetur.

Has theses dilucidare ac tueri conabitur ad Doctoris gradum promovendus *Nic. Eug.* Geruzez, in Facultate Litterarum jam licenciatus.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. VIII id. novembr. ann. M DCCC XXXVIII,

Facultatis Litterarum in academia Parisiensi decanus,

J.-V. Le Clerc.

Typis mandetur,

Studiorum Inspect. procurandis academiæ Parisiensis rebus præpositus,

Rousselle.

